

beneficiis in ipsis Baptizandi, sponsalia recipiendi, consecrandi, & generaliter omnia, & singula faciendi, quæ ad prædicta, & ipsorum quælibet, & ex prædictis dependentibus, emergentibus, & connexis, & quæ ad prædicta pertinere noscuntur vice sacrosanctæ matris Ecclesiæ . . . in prædictis & ita, & singulariter divisim, atque si sub nostræ Abbatæ jurisdictionibus, nostrique præsentia facta teneant. In cujus rei memoriam, ut prædictorum cunctis notitia pateat evidenter, fieri jussimus litteras nostri sigilli appensione in roborationem præmissorum munitas. Datum Dragonerii die XIV. mensis novembris MCCCLXII., indict. XV. Super omnibus habita deliberatione matura Christi nomine invocato sub protestatione tamen, quod per hanc confirmationem non præjudicetur eidem Domino Episcopo, nec aliis jus habentibus in dicta Ecclesia, electionem de prædicto Presbytero Milano factam de Ecclesia S. Hippolyti supradicta approbavit, ratificavit, & confirmavit, & curam animarum prædictæ Ecclesiæ sibi commisit, ac cum annulo suo aureo, quem in manibus tenebat, eum investivit de dicta Ecclesia, & de omnibus juribus spiritualibus, & temporalibus spectantibus ad eandem, committens idem D. Episcopus dicto fratri Gulielmo Rectori Ecclesiæ s. Mariæ de Quinzano de Nicia præsentem, & intelligentem, & eidem sub excommunicationis pœna præcipiens, ut ipsum fratrem Milanum electum, & confirmatum ut supra, inducat in corporalem possessionem dictæ Ecclesiæ s. Hippolyti, & omnium jurium spiritualium, & temporalium spectantium ad eandem, & eum sic indutum auctoritate sua defendat contradictores, si qui forent per censuram Ecclesiasticam compescendo. Quibus in præmissis, & quolibet præmissorum dicto fratri Gulielmo commisit totaliter vices suas, donec eas duxerit revocandas. In quorum testimonium tam prædictus D. Episcopus, quam D. frater Milanus præceperunt de prædictis fieri publicum instrumentum per me Notarium infrascriptum sigillo curiæ Episcopalis Aquensis munitum.

*Denunciatio Guidoni Episcopo de Monacho  
s. Petri jura Paraciæ sanctæ Mariæ  
majoris invadente.*

327

MCCCLXVI.

Anno Domini MCCCLXVI. die V. martii coram D. Guidone Aquensi Episcopo Nicolinus Bellexius Archidiaconus, & Presbyter Bartholomæus de Porta Canonici residentes, & Dominicus Culardus syndicus coram dant querelam, quatenus Ruffinus de Coconato Monachus monasterii s. Petri de Aquis audit confessiones in civitate, ad sepulturam ducit in suo cimiterio dicti monasterii, non vult tradere duas partes oblationum, & turbat jura, & jurisdictiones suæ Ecclesiæ, & Parochiæ, qui fr. Ruffinus cum Abbate Henrico dicti monasterii contradicunt dicentes monasterium s. Petri Aquensis habere Parochiam in suburbiis (*deest sententia dicti Episcopi*).

*Sententia arbitri circa facultatem Episcopi in  
visitatione Ecclesiæ Cathedralis, & taxam  
procuracionis.*

MCCCLXVI.

328

Anno Dominicæ Nativitatis MCCCLXVI. In nomine Domini amen. Nos Joannes Collarius Abbas monasterii s. Jacobi Vallis Umbrosæ Astensis, & Lucas Geblais legum Doctor Canonicus Astensis arbitri arbitratores, & amicabiles compositores, & communes amici communiter, & concorditer volentes . . . inter Rev. in Christo Patrem, & D.D. Guidonem Dei gratia Aquensem Episcopum, & Comitem ex una parte, & Canonicos, & Capitulum Ecclesiæ Aquensis ex altera parte in quæstione vertente inter ipsas partes. In eo . . . quod dictus D. Episcopus Aquensis dicit se . . . quod de jure communi ordinaria auctoritate potest dictos Canonicos, & Capitulum præfatæ Aquensis Ecclesiæ semel in anno . . . visitare, & si necesse fuerit pluries in uno, & eodem anno visitare, & dum visitat Canonicos, & Capitulum, potest ex his petere ab eis ratione Visitationis procuracionem pro qualibet die, quo ipse visitabit, Turonenses quinquaginta argenti in vigorem constitutionis Benedicti Papæ undecimi, quæ incipit VAS ELECTIONIS &c. (1), dicti vero Canonici, & Capitulum Aquens. . . in contrarium videlicet quod præfatus D. Episcopus nec potest, nec debet ipsos visitare, nec aliquam procuracionem debent sibi dare . . . de jure. Item dato quod posset ipsos visitare, non tamen concesso, quod non potest eos visitare nisi semel in anno dumtaxat, nec ab eis potest aliquam procuracionem exigere pro ipsa visitatione, & præsupposito, quod dictus D. Episcopus possit prædicta exigere, quod ipsi Canonici, & Capitulum non teneantur solvere præmissa, nisi pro una die tantum. Item dato quod pro una die tantum teneantur solvere quod non debent solvere dictos Turones quinquaginta, sed satis minorem summam, cum Ecclesia Aquensis sit pauperrima, & tenuis in possessionibus, ac redditibus, attenta etiam prædicta forma dictæ Constitutionis VAS ELECTIONIS &c., ut de ipso compromisso in nos facto constat publico instrumento manu Gulielmi de Belleratis de Aquis publici Imperialis aulæ Notarii MCCCLXVI., indict. IV. die XXIII. septembris, visis, auditis, & intellectis, & ruminatis juribus, quæ dictæ partes coram nobis producere voluerunt, & etiam habito colloquio cum ipsis partibus ore tenus, attentaque forma dicti compromissi in nobis facti cupientes, & volentes finem imponere quæstionibus auditis juxta potestatem, & bayliam nobis in hac parte attributam per ipsas partes, & vigore dicti compromissi, Christi nomine primitus invocato, sedentes & in his scriptis de dicta concordia sæpe, & sæpius deliberatione matura in puncto juris super prædictis, & quolibet prædictorum dicimus, pronunciamus, sententiamus, arbitramur, laudari, & observari mandamus per ipsas partes, & qualibet ipsarum partium prout superius continetur . . .